Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1135
Quelle:
Copyright:

disti naturam, largire et gratiam. Pretende lumen tuum in umbris ignorantię palpitantibus, querentibusque te. Reuoca nos ab erroribus. Porrige dexteram tuam infirmis, non ualentibus te sine peruenire ad te. Ostende te ipsum his, qui nil petunt preter te. Rumpe nubes uanarum fantasiarum, quę mentis aciem non sinunt intueri te, eo modo, quo te inuisibilem uideri permittis desiderantibus uidere faciem tuam, quietem suam, finem suum, ultra quem nil appetunt, quia ultra nichil est, summum bonum, superessentiale. Non reperi in *Soliloquiis, Meditationibus, Manuali* &c. quae *Augustini, Anselmi, Bernardi* nomine feruntur. Quid igitur, si *Boetii* forent σωζόμενα, quem plura lucubratum constat, quam quidem ad nos pervenere? Verba recitata: *qui dedisti naturam, largire et gratiam,* ingerunt animo ea, quae *Petr. Bertius* in Praef. ad edit. *cit.* pluribus arguit, *quinque* videlicet *Libris de Consolatione Philosophiae* addendum a *Boetio* fuisse *Sextum,* qui consolationis argumenta sublimiora e Doctrina Christi peteret.

CCCCLX.

U. 537 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 36. 4. nitide, sed multis pro Scholasticorum more compendiis exaratus, et quondam ICti nostri *J. Alex. Brasicani,* dein Episcopi *Job. Fabri* κτημα *Commentarios* in mox relata Opuscula *Boetii* continet autore *Gilberto de Porreta* acutissimo Viro, inter quatuor *Galliae Labyrinthos* censo, et *Pictavii* Patriae suae usque ad an. mortis 1154. Episcopo, qui in Edit. *Basil.* 1556. post singula Opuscula sunt impressi. Atque cum his contulimus Exemplar nostrum, integrumque deprehendimus usque ad *Opusculum* IV. ante cujus medium Librarius manum sustulit in iis verbis: *per quam usu multorum dicimus diuersam esse naturam* — —, quae leguntur edit. *cit.* 1556. p. 1231. Init autem: *Libros questionum anitii quos exhortationibus precibusque multorum suscepimus explanandos* &c. Particulae Textus *Boetii* columellis distinguuntur. Quae graeca adferuntur, literis latinis expressa sunt. Lectio valde adcurata est. In *Prooemio* tamen universali emendo *penitus strangulare* pro *transgulare,* in *Prooemio* L. I. Codex quidem habet *in cenis Sophistarum,* sed praeferendum, quod legunt Edita, *in scenis,* cum mox fiat *Menandri* mentio; in fine tamen *Prooemii* L. III. melius videri possit e Codice: *intelligentiam ejus adduxit,* quam *admisit.* &c. In *Fidei Professionem Boetii* non videtur *Gilbertus* commentatus fuisse.

CCCCLXI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 179. f. per duas columnas admodum minute, verum nitide descriptus et minio distinctus multa complectitur, quae hoc ordine evolvuntur: I. *Incipit liber boetii de trinitate.* Puta IV. Opuscula: *Quomodo Trinitas est* U. 275

unus